



Alboinus filius fuit Valtharithi regis Vínulorum, qui ante cētum circiter annos ex Scandauia insula & finitimiis locis Germaniae Septentrionalis, Thatone & Aione ducibus, in Bulgaria peruererunt. Eo autem tempore quo Odoacer Italia est potitus, Vinuli sua arma ad Danubium usque promouerunt, atque paulatim inferiorem & superiorem Pannoniam occuparunt. Cum autem hi ferre soli eo tempore ex Germanis barbam longius alerent, iam inde Longobardi dici coepertunt. In ea gente tandem anno Christi 505 Alboinus uir fortissimus rex est electus. Is statim Gepidas, qui & ipsi Pannoniam sibi uēdicassent, bello aggressus, ipiorum regem Thurimundum, eius Ardarici qui cum Athila militauerat nepotem, interfecit, & eam gentem sibi subiecit. Hac ratione factū, ut Hunni Athilani exercitus reliquæ, qui post Athilæ mortem à Gepidarum regibus prælio erant superati, se se Alboino dediderint, filijs Athilæ in Scythiam profligatis. Ibi uero ab Auaro fortissimo suo duce se se postea Auares dixerunt. Cum autem Gepidæ Comundum sibi regem elegissent, & denuo belli fortunę tentare statuissent, Longobardi ab Auaribus adiutiū prelio cōmiso denuo uicerunt, & regem cum omni ferre nobilitate interfecerūt. Itaque Alboinus Auarum genti Noricum cōcessit, quę regio postea ab ipsis, b littera adiecta, Bauaria dicta est. Erant Gepidarum opes ijs prælijs adeo attritæ, ut postea nullum per se ducem habuerint, uerum partim Lōgobardis admixti, in eius gentis nomen abiérint: partim uero sub Auarum umbra superioris Pannoniae partem incoluerint. Alboinus uero Comundi imperfecti regis caput per aliquot dies castris circumtulit, pateramque ex eius calvaria fecit, et multo auro insigniuit, ex qua iam inde solennibus epulis conuiuijsque libare perseuerauit. Iunxit etiam Rosimundam Comundi filiam sibi matrimonio, ut hac ratione Gepidarum gentem sibi obsequentiorem haberet.